

SSmi ad altare majus defert. *Caer. Ep. I. II. c. XXVI. n. 15.*

Fulginaten.

(*Conc. Tr. cap. 13. S. 25. De Regul.*)

Societas s. Leonardi erecta est in ecclesia beatae Mariae de Planctu et est intra limites parochialis ecclesiae s. Salvatoris civitatis Fulginaten.

Anno 1703 confratres post redactam propriam ecclesiam in ampliore formam obtinuerunt indultum retinendi in ea SS. Eucharistiae Sacramentum et die ultima Aprilis post expositionem 40 horarum solemnem faciunt processionem singulis annis per civitatem cum delatione SS. Sacramenti.

Exorta est quaestio: *an delatio Venerabilis facienda sit a capellano confraternitatis vel potius a parrocho?* Audito Ordinario suam ille transmisit relationem, in qua jura utriusque partis compendiose referuntur.

Parochus innititur dispositioni juris, qua attendit, delationem Venerabilis et benedictionem ad se pertinere debere, juxta deducta per *Mona-cell.* in formular. tom. 2. pag. 17. n. 67, et per modernum Episcopum Anagninum in suo tractatu de sodalitiis quaest. 12, n. 5, et concordant resolutiones hujus s. Congregationis in Synodo Farfensi clar. mem. Card. Caroli Barberini cap. 35 de confraternitatibus laicorum num. 8.

Addit parochos antecessores fuisse in possessione deferendi SS. et consimilem consuetudinem vigere quoad caeteras confraternitates civitatis Fulginaten, quando ab ipsis fit processio SS. post expositionem 40 horarum.

Confraternitas contra excipit, delationem Venerabilis et benedictionem super populo non esse de jure mere parochialibus juxta decreta generalia Congregationis sac. rituum anni 1703; disputato etenim XI. dubio concepto

sequentibus verbis: *an expositio 40 horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de jure mere parochialibus?* Et huic dubio responsum fuit: *Negative.*

In eo, quod attinet ad possessionem, confraternitas excipit, quod Sacramentum deferretur a parrocho, quando processio incipiebat ab ecclesia parochiali, sed postquam processio inchoari coepit ab ecclesia confraternitatis, illud quidem fuit delatum a parrocho, sed tanquam confratre non tanquam parrocho.

Et in eo, quod spectat ad consuetudinem civitatis, ait, septem in ea esse confraternitates et in sex deferri Venerabile a Capellanis earundem et in una tantum a parrocho.

Jura circumferuntur, quocirca onus erit EE. VV. discernere:

An delatio Venerabilis in processione, quae singulis annis fieri solet die ultima Aprilis, sit facienda a capellano confraternitatis vel potius a parrocho in casu?

S. C. C. resp.: Delationem esse faciendam a Capellano confraternitatis de licentia Episcopi.

Die 4. et 18. Maii 1726.

In festo Corporis Christi non est deferenda in processione Eucharistia sacerdotum humeris sed Celebrantis manibus.

S. R. C. 2. Jun. 1618.

In festo Corporis Christi debet deferri Eucharistia a Celebrante et in Vesperis diei Octavae, si fiat Proceso, debet deferri ab eo, qui cantavit Vesperas, modo saltem sit Canonicus in Collegiatis. S. R. C. 12. Junii 1637 et 23. Maii 1709 in respons. ad 4. teste Ursaya tom. 2. p. 1. num. 59.

Non convenit, quod prima Dignitas celebret Missam ante Procesionem SS.

Sacramenti et deinde altera Dignitas minor gestet illud in processione. S. R. C. 31. Jun. 1632 et 13. Mart. 1700 in respons. ad 5. teste Ursaya loc. citat. num. 60.

VIII. Commemoratur in singulis diebus.

Vd.: *Commem. SS. Sacr.*

Hispaniarum.

Aloysius Fernandez de Corduba s. Congregationi supplicavit, ut ei facultatem tribueret faciendi commemorationem SSmi Sacramenti in singulis missis etiam solemnioribus diebus per eum celebrandis, nec excepta majori hebdomada. Et S. C. respondit: servari rubricas.

Die 9. Julii 1657.

(Anal. J. P. 1863 p. 340).

IX. Concio cor. SSmo.

Vd.: *Concio.*

X. Consecratio.

1) *Utrum sacerdos lat. in locis Graecor. et graecus in Latinorum urbe SSmum juxta loci ritum possit consecrare?*

Vd.: *Ritus latinus* (utrum presbyter latinus etc.)

2) *Si dubitetur de vere consecrato sed longe asservato SS. Sacramento?*

Vd.: *SS. Sacram. euch.* (particulae dubie etc.)

XI. Delatio.

1) *Ad collum et in itineribus.*

Vd.: *Ritus graec.* (Const. Bened. XIV.: *Etsi pastor.* §. 6. n. 7. t. III. p. 250.)

2) *Cui competit?*

Delatio SSmi in die ss. Corporis Christi spectat ad parochum matricis non ad dignitatem noviter sine cura animarum erectae Collegiatae n. 2209 ad 2 die 17. Mart. 1663. Jus defe-

rendi SSmum. in processione in die illius festi impedito vel absente Archipresbytero Cusani spectare ad Hebdomadariam aut ad antiquiorem ex Rectoribus Ecclesiae. Num. 2412 ad 2 die 2. Apr. 1667.

Vd.: *SS. Sacrament.* (a celebr. defert.) *Process.* (dignit celebr.)

Lamacen.

C. S. R. alias saepe declaravit delationem SSmi Sacramenti in solemni ejusdem processione et missas cantare atque alias functiones facere, quae ad episcopum praesentem pertinerent, ipso absente vel impedito ad primam dignitatem spectare, et ideo viso suprascripto memoriali decanum ecclesiae Lamacen., quae major et prima dignitas est in eadem Ecclesia post pontificalem, manutenendum esse in prima sua antiqua et immemorabili possessione deferendi in processione solemni SSmi Corporis Christi SSmum Sacramentum, absente vel impedito Episcopo, et faciendi alias functiones, quae ad Episcopum praesentem pertinerent, eadem S. R. C. censuit et declaravit quibuscumque non obstantibus.

Die 11. Novbr. 1614.

(Anal. J. P. p. 132 anno 1863).

Barchinonen.

In oppido de Sarria dioecesis Barchinonen. sacrum solemne agitur SSmi Sacramenti Dominica infra octavam ejus diei festi cum publica supplicatione. Mos fuerat ut parochus, absoluto sacrificio, sacram Eucharistiam deferendam traderet uni ex ordine min. s. Francisci capucinatorum, qui cum ea anniversariam publicam pompam consueto ritu per parochiae fines exequeretur eamque ad ecclesiam reversus parrocho restituerit, ut receptis caeremoniis populo benediceret.

Morem hunc, quum ab anno 1694.

servatum ad hanc diem fuisset, ipse idem non negat praesens parochus, retinere in posterum noluit; ac tertio ab anno publicam supplicationem traduxit ipse ac perfecit omnia. Hinc quaerimoniae magistratus loci et capucinorum super veteri turbato jure. De his cognoscendum proponitur:

An et ad quem spectat deferre SSimum Sacramentum in processione, quae fit in dominica infra octavam Corporis Christi in villa de Sarria in casu?

S. C. resp.: Spectare ad parochum et amplius.

Die 13. Julii et 3. Aug. 1765.

Mediolanen.

Dubium.

In supplicationibus sive SS. Corporis Christi sive s. Clavi spectatne absente Archiepiscopo ad auxiliarem episcopum canonicum vel ad capitulum et pro eo ad Archiepiscopum SS. Eucharistiam et S. Clavum deferre?

Resp.: Cum in iis, quae dicta haec sunt in prima*) quaestione ad sustinendam praecedentiam primae dignitatis supra tertiam vel secundam, licet haec accidentaliter insignita sit dignitate Episcopi titularis, cum qualitate etiam Episcopi auxiliaris, referantur non solum admissae sed et aliae quoque capitulares functiones, quas Archiepiscopus perageret, si praesens esset, ex paritate argumenti jam consequitur archipresbytero ceu primae capituli dignitati etiam in duabus praedictis functionibus, quae in secundo dubio proponuntur, praecedentiam debere, scilicet in delatione SSmae Eucharistiae in solemni supplicatione, quae fit occasione Corporis Christi et s.

*) Vd.: Titul. Episcop. Canon. (Pontif. exercens impedito etc., decr. Mediolanen.)

Clavi, qui in metropolitana ecclesia Mediolanensi religiosissime asservatur. Dixi in festo Corporis Christi, quia ex Caeremoniali Episcoporum. lib. 2. cap. 33. nulla alia processio declarari videtur episcopalis nisi illa, quae fit in die Corporis Christi, ex quo sequitur illas, quae fieri solent in octava aut aliis quibuscumque diebus, ad dictum archipresbyterum non spectare in vim juris succedendi Archiepiscopo, nisi forte eae quoque descriptae reperiantur in tabella, quae de pontificalibus officiis et certis eorum diebus a constitutionibus capitularibus cap. 8. supra enunciato observanda praescribitur. Sed haec obiter notavimus; quod vero supra statuimus, confirmatur etiam ex decreto Parmen. 28. Aprilis 1640, in quo licet indeterminate responsum fuerit: „ad primam dignitatem spectare et pertinere solemnes functiones pro Episcopo absente vel impedito“, tamen ejusdem decreti textum latiore habemus apud Cardinalem de Luca. Is namque loquens de hac quaestione, quae ut ipse testatur ejus patrocinio commissa fuit, lib. 3. part. 2. de Praem. disc. 20. haec praecise habet: Bene, inquit, eadem S. C. R. ad petitionem archidiaconi istius Ecclesiae (Parmen) sub die 28. aprilis 1640 per haec verba praecisa, videlicet: „S. R. C. juxta alias, respondit, functiones episcopales, Episcopo absente vel impedito, spectare ad primam dignitatem, quocumque nomine nuncupatur, dummodo sit in sacerdotali ordine constituta et propterea in casu proposito omnia munia, quae ad Episcopum pertinerent, si praesens esset, archidiacono primae dignitati competere, et signanter delationem SSmi Sacramenti in die ejus festo, dummodo archidiaconus etiam missam solemnem eo die celebret. Die 28. aprilis 1640“. Cui aliud quoque decretum consonat 13. martii 1700, in quo S. C. decla-

ravit ad 17: peragere processionem SSmi Corporis Christi spectare ad digniorem de capitulo, dummodo celebret.

Ex quibus exurgit responsio: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

S. C. resp.: Ut in voto magistri Caerem.

Die 19. Sept. 1859.

(Anal. J. P. 1861 p. 1044.)

3) Ad incendium compescendum non conceditur delatio.

Ad incendium compescendum ad Ecclesiam s. Nicolai in carcere exortum minus rite allatam fuisse ex Ecclesia s. Pyxidem SSimum Sacramentum intercludentem, eaque super populum et ad furentes flammam benedicendum, rationibus pluribusque alatis ecclesiasticis sanctionibus demonstratur; et ne tale quid exinde fiat opportune sanciat.

Venerabili fratri nostro fr. Joanni Antonio episcopo Tusculano S. R. C. Cardinali Guadagni nuncupato nostro in Urbe ejusque districtu vicario generali.

Benedictus PP. XIV.

Venerabilis frater noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, ut recte nosti, proximo superiori mense Aprilis invasisset ignis suppellectiles ac merces quasdam asservatas in parvis quibusdam domibus sitis in foro Montium dicto, parochialis districtus s. Nicolai in carcere, cumque continuo, quod satis superque fieri assolet, in magnum exrevisset incendium, memoratae parochialis insimulque collegiatae ecclesiae canonici suum esse existimarunt, hortari populum ad Dei implorandam opem, ut pro sua misericordia maximum impendens de-

trimentum avertere dignaretur, cujus vehemens suberat timor, quoties extinctum incendium non fuisset.

§. 2. Ad congregandum populum initum fuit consilium, ut circumiens minister tintinnabulum pulsaret ad eum plane modum, quo cogi multitudo solet, ut SS. Sacramentum ad aegrum aliquem deferendum comitetur. Cumque ita contigisset, ut Ecclesia populo completum, ante aram beatissimae virginis dicatam multa quidem religione recitatum fuit elata voce rosarium atque etiam in ejusdem SSmae virginis honorem cantatae fuerunt Litaniae. Ad haec sacerdos pio aequae ac ferventi sermone interessentes excitavit ad dei placandam indignationem, implorata sibi ex animo de patris criminibus venia, et quantum quidem relatum est insonuit templum clamoribus illorum, qui sibi a divina misericordia multis gemitibus et lacrimis patrorum criminum veniam precabantur.

§. 3. Si nihil fuisset praeterea gestum, nil quoque fuisset, quod objiceretur et nemo piam agendi rationem in memorato luctuoso casu servatam non laudasset. At cum ex religioso sanctoque studio ad augendae devotionis populi enixisque ejusdem votis satisfaciendi opportunum, quin et congruum visum fuerit praecipere, ut reserato tabernaculo, in quo s. Pyxis custoditur, eadem super populo et ad incendium benediceretur.

§. 4. Cumque is, qui parochi vice fungitur, data sibi jussa perficiens sacris indutus vestibus, accepta sacra Pyxide, in qua erat adorandum Sacramentum, ab Ecclesia processerit, satis congruo facum ministrorumque numero stipatus mediaque in via consistens, unde ignis erat conspicuus, Pyxide humerali velo obiecta non solum coactae immensae multitudini sed et regionem voraci igne vastatam bene-

dixerit, hoc plane illud est, unde sermones varii exorti sunt, quibusdam factum ipsum commendantibus, censentibus aliis in ea facti specie secus rem transigi non potuisse, ne populi frigeret devotio neve offenderentur pusilli sibi cohibendoque igni benedictionem vehementissime exoptantes, aliis denique contra assertum novum incongruumque ritum inclamantibus.

§. 5. Et quamvis fraternitas tua inter has disputationes non aliam, prout assoles, iniveris rationem, quam quae christianae prudentiae omnino congruerit, hancque ipsam probaverimus ipsi et nunc quoque, ut mox constabit, probemus; nos tamen videmur facere non posse, quin ea, quae ipsi hac de re expendimus ac notavimus, perspecta tibi reddamus hisce nostris literis, quas mandamus, in futurorum temporum normam, apud acta tabularii tui asservari.

§. 6. *Quicumque ea, quae gesta sunt, probanda sibi ac defendenda suscipiens assereret*, nihil plane in eo praestitum quod cultui SSmae Eucharistiae debito non congruerit, et perdifficile esse per integram rei gestae seriem, quidquam offendere ex intrinseca ratione improbandum, immo vero facile reperiri posse, quod pietatem et devotionem sapiat, aliaque asserat diceret suamque assertionem firmare posset iis, quae adnotat *Theophilus Raynaudus* tom. 15. suorum operum p. 83. col. 1, ubi loquens de sacramenti expositione fieri solita, cum aliquod imminet infortunium, ita scite rem expendit: „Est modus aptissimus permovendi populum ac excitandi ad pietatem necessitate congruentem, verbi gratia, si ingruat pestis aut incursus hostium aut aerum tempestatum malignitas: nihil enim habet Ecclesia aptius ad plebem fidelium excitandam

et sensu pietatis Deum placaturo afficiendam quam sacrum spectaculum Corporis Christi propalam exhibiti, et objectum ejus, in quo est salus, vita et resurrectio nostra“. Sed non satis ea essent: Ritus quippe, de quo est quaestio, multa habet adnexa inferius a nobis expendenda, ex quibus, seposita pietate actus, jure meritoque potest Ecclesia eum non probare, neque enim illa hac in re intrinsecam tantummodo ejusdem bonitatem spectat, sed et alia, quae vel neglecta vel non praevisa, facile possunt confusiones inducere ac perturbationes.

§. 7. Si quis autem, ut sibi lula unoque veluti ictu salva res esset, ecclesiasticas proferret historias, exempla praesto essent opinioni suae valde accommodata. In chronica Albingensium Episcoporum atque abbatum Castrae, apud *Thiers* in tractatu de expositione SSmae Eucharistiae Sacramenti 2. part. impressionis Parisiensis anni 1677. lib. 5. cap. 12. legitur, sub Abbate Geraldo, qui vixit ad annum 1090, incendium a fulmine excitatum, fuisse hoc pacto extinctum:

Jamque monasterium furibunda incendia volvit,

Cum Christi oblato corpore flamma cadit.

Celebre est s. Bernardi factum relatatum in ejus vita; factum scribere instituit Abbas Guilelmus a s. Theodorico absolvitque Abbas Hernaldus a Bonavalle, veteri amicitia cum Sancto conjunctus. Adstabat ad ecclesiae Januam Willelmus Aquitaniae dux, intus ob excommunicationem non ingrediens. Vir sanctus interea sacrum faciebat: cumque consecrasset, ante consummationem, imposita patenae divino Sacramento et ad ducem accedens ipsum eo ferventis animi affectu est allocutus, ut eundem ad insignem poenitentiam adduxerit, et ad novum vitae institu-

tum, unde porro in beatorum album, qui cultum in Ecclesia obtinent, recenseri promeruit, uti videre est in Martyrologio Romano quarto idus Februarii. Gesta res descripta legitur in praedicata antiqua vita s. Bernardi et perbelle retextitur a duobus recentioribus ejusdem vitae scriptoribus, a Magagnotio nempe lib. 2. cap. 6. et a Petrina in historia chronologica lib. 4. tom. 1. num. 371 et seq. Celebre quoque sese prodit factum s. Clarae, quae, ut monasterium suum universamque Assisiensem urbem servaret a direptione ac stragibus Saracenorum jam impia consilia exequentium, ad monasterii januam afferri curavit tabernaculum Sacramentum intercludens: Christique vix objecto corpore Saracenorum nonnulli obcoecati, reliqui praecipites effugere. Rem narrat s. Antonius in suis historiis tit. 24. cap. 6. §. 3; resumitur eadem a Bolandistis tom. 2. mensis Augusti pridie idus pag. 759. num. 21, et a Pagio in vita Alexandri IV. num. 15. Ejusdem fere temporis cum s. Clarae factum est et aliud relatatum a Roderico Granatensi part. 2. explanationis Symboli cap. 27. §. 7. secutum anno 1230 in regno Valentiae, dum bellum gereretur in Mauros: de horum quippe exercitu tum Christifideles insignem relulere victoriam, cum pius sacerdos manibus gestans pannum lineum consecratis particulis plenum prodiit in omnium conspectum, Deum exorans ut nostris praesto esset, eoque pacto est eosdem hortatus ad instaurandum certamen, quod porro insignis victoria est consecuta. Meminimus et ipsi eorum, quae in minoribus agentesque promotorem fidei legimus in actis collectis super virtutibus beati Petri Faurerii, ad quem cum delatum fuisset, publica in caupona quosdam sacrilegis verbis divinum nomen violare, ad sacrum tabernaculum advolvit arrip-

tamque sacram Pyxidem secum detulit ad cauponam, cumque sacrarum pignus manu ostentans, immane facinus scelestis patefecisset atque exprobasset eosdem ad poenitentiam adduxit. *Ast haec hisque similia exempla ex peculiari divino spiritu impulsuque processisse demonstratum est non solum ex secundo eventu, sed et ex peculiaribus hrec agentium virtutibus. Ea itaque sunt haec exempla, quae miremur haud autem imitemur, nec quidquam exinde inferri potest pro iis, qui debent se ad legum normam componere: quemadmodum a Nobis quoque fuit generaliter demonstratum in nostro opere de canonizatione sanctorum lib. 3. c. 41 et praecipue n. 20.*

§. 8. In hanc classem referri et illud potest, quod s. Paulini Nolani opus est, ubi narrat, ingens incendium fuisse extinctum, objecto tantum ad flammam sanctae crucis frustulo.

Vicerit ignis aquam, nos ligno vincimus ignem,

Quamque aqua non potuit, vicit brevis hastula flammam.

Et quoties ex classe horum similitumque exemplorum, quae peculiari divino afflatui non immerito tribuuntur, ad alios progredi quis vellet eventus, allatam divini impulsus exceptionem haud ita facile recipientes, veluti ad id, quod sub annum 1647 contigisse fertur Halae Tyrolis, ubi, cum sacerdos venerabili Eucharistia adhibita ungenti incendio benedixisset, restitit ignis, vel ad illud, quod anno 1734 sive alio veriori tempore hic Romae gestum est, tunc quando publica solemnique pompa fuit Sacramentum ab Ecclesia delatum ad incendii locum, eoque impertita benedictio; qui his uteretur exemplis, haud valde proficeret, tum quia primum ex recensitis factis affertur a Gobato in sua Theologia experimentalis tract. 4. cas. 21.

sect. 1. num. 375., qui tamen illud non probat, sed tantum nuncupat felix ab exitu:

Factum felix ab eventu, tum quia unum vel plura adhuc facta hujusmodi aut incognita aut a superioribus dissimulata *haud tanti sunt, quibus jure recens aliqua disciplina novusque ritus innitatur.*

§. 9. Sicuti praenotatum est, superior allata argumenta ad ritum, de quo sermo est, vindicandum infirma sunt leviorisque momenti, sed ejusdem furfuris sunt alia quaedam, quae in Ritum ipsum objectantur atque extolluntur. Ajunt nonnulli Eucharistiae Sacramentum a Christo fuisse institutum, ut eo vesceremur; quod quidem indubium est: at satis deprehendi non potest, quomodo ex hoc antecedenti inferre liceat, haud decere illud in supplicationibus deferre Deumque, qui sub Sacramenti speciebus adest, deprecari, ut a gravibus nos quandoque obsidentibus periculis praestet incolumes. *Neque enim ideo minus est adorandum, (sunt concepta verba concilii Tridentini de hoc divino Sacramento loquentis sess. 13. c. 5.) quod fuerit a Christo domino, ut sumatur, institutum: nam illum eundem Deum praesentem in eo adesse credimus, quem pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei: quem magi procedentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse scriptura testatur.* Exindeque Tridentini patres commendare pergunt pias supplicationes in festo Corporis Christi haberi solitas religiosasque actiones comitantium adorandum Sacramentum, dum ad aegrotos affertur, uti videre est cap. 5 et cap. 6. et can. 6. cit. sess. 13. Christus dominus qua homo vel nunc in gloriae statu Deum patrem pro nobis rogat: Chri-

stus Jesus, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis“ legitur in epistola ad Romanos §.: Advocatum habemus apud patrem, Jesum Christum: subditur in Epistola prima s. Joannis cap. 2., sive porro hoc praestat, petens expresse a Deo, ut nobis proficua concedat, sive implicite suam exhibens humanitatem veluti hostiam jam ipsi in cruce oblatam, ut Deus, in eam respiciens, quae utilia nobis posse sunt evadere elargiatur, veluti disserunt nostri Theologi, qui licet in explicatione tradenda discrepent inter se, dum alii primae subscribunt, alii secundae sententiae, consentiunt tamen omnes quoad dogma insimul adnotantes: neque Ecclesiam neque fideles solere absolute ad Christum confugere ut ipse pro nobis oret, sed ut nostra velit exaudire vota, ne videantur cum Arii et Nestorii erroribus consentire, qui tueri audebant, ipsam Christi personam, ad quam vota diriguntur nostra esse creatam et divina inferiorem. Cum autem nostras preces audiat Christus vere Deus et homo, vere, realiter ac substantialiter sub speciebus Eucharistici panis contineatur, omnino nunquam affirmari poterit, non posse nos supplices ad ipsum confugere, ut incendium extingui deprecemur, ex eo tantum quod Sacramentum fuerit in nostrum cibum institutum, sed erit tantummodo asserendum, non licere ita ad illum confugere, ut Sacramentum educatur e tabernaculo, afferatur ad ignem atque incendium benedicatur, ob qualitatem Ritus, quoties firma desint ad eum vindicandum argumenta.

§. 10. *Alii ulterius progrediuntur asserentesque non posse rem creatam irrationalem Dei nomine adjurari autumant, hoc unum posse valide consistere ritui benedicendi incendi cum Eucharistiae Sacramento:* sed infirmum omnino videtur hoc argumentum. Creatam res expers rationis, si

ipsa per se attendatur, cum non intelligat, talis non est, quae adjurari possit; capax tamen evadit, quae exorcismis Ecclesiae subjiciatur, si veluti ab alio acta inspicatur; ex quo consequitur, posse orationes nostras ad Deum intendi, ut eam nobis nocere prohibeat, etiamsi daemone in nostrum damnum detrimentumque ageretur. Est haec s. Thomae doctrina 2. quaest. 90. art. 3. Verum eadem nil profecto opus est in hac facti specie, in qua, dum adhibita Pyxide benedicatur incendio, nulli unquam intermixti sunt vel intermiscerentur exorcismi. Alii ritum improbant, asserentes ipsi inesse Dei tentationem, vitium religioni oppositum, ideoque peccatum sapiens et grave quidem peccatum, quamvis superstitione inferius, uti fuse docet, demonstratque sanctus Thomas 2. quaest. 97. art. 2. et duob. seqq. At si expressa Dei tentatio, juxta ejusdem sancti Doctoris sententiam, tunc inducitur, cum quis quidquam agit ea mente atque consilio, ut Dei scientiam potentiam, patientiam voluntatemve scrutetur, interpretativa autem et implicita, quando non agit is quidem eadem concepta expressaque mente, sed tamen quidquam loquitur vel agit, cui non alius potest esse scopus, quam ut divinae alicujus virtutis periculum fiat, quod tunc plane contingit, cum quis paratas habens usitatas vulgaresque agendi rationes, has quidem sponte omittit seque ultro in discrimen adducit: „Sicuti tentare est experimentum sumere seu explorare, ita Deum tentare est velle sumere experimentum de aliqua ipsius perfectione, veluti an sciat, an possit, an velit quidquam; quod tum verbis tum factis fieri potest, idque dupliciter, uno modo expresse, puta cum aliquis ea intentione dicit aut facit quidquam ut exploret Dei scientiam, potentiam aut voluntatem: altero modo implicite seu in-

terpretative, quando non est quidem homini formalis et expressa intentio simile aliquid explorandi, hoc tamen dicit aut facit, quod non potest alio ordinari, quam ad experimentum sumendum de aliqua Dei perfectione, veluti quando aliquis humanis et naturalibus mediis non destitutus, ea sine rationali causa omittit aut se periculo exponit; verba sunt Sylvii egregii s. Thomae interpretis ad art. 1. praecit quaest. 97. Quomodo unquam poterit jure defendi, eum, qui venerabili Sacramento ad incendium benedicat, qui Deum rogat, ut miseros afflictosque ab irruente infortunio velit praestare exemptos, qui non ea mente est, ut divinae potentiae sumat periculum, qui humana non spernit subsidia, sed iis undique collectis, omnia enititur, assiduas tamen divinae Majestati preces offerens, ut, quod imminet grave malum, dignetur avertere, hunc, inquam gravissimi criminis expressae vel tacitae Dei tentationis posse reum pronunciari?

§. 11. *Alii denique arbitrantur, non esse usu recipiendam assertam piam consuetudinem afferendi Sacramentum sacra pyxide contentum, eoque benedicendi incendiis, ne forte id fiat cum ignis divitum aedes incessit, non autem pauperum domunculas:* neque inanis hic quidem est vel sola mente conceptus timor: Thiers quippe praecit, cap. 12. invehitur in satis illacrymabilem hanc personarum acceptionem vel uti aliquibus in locis usu receptam. Idem auctor praeterea plures cumulat synodales sanctiones, quibus severe interdicitur, sacra lintea ad incendium affere eaque projicere flammam, ut extinguantur, atque multo etiam magis, si ipsa sacra hostia projiciatur in ignem, ea quidem spe, ita illum restinqui posse. Quidquid asserit praecitatus auctor, perfacile admitti debet; imo quoties, ad ea firmanda,

quae in ritum jaciendi in ignem sacram Hostiam profert et in irreverentiam eo actu contentam, alio opus esset exemplo per ipsum non inducto, illud minime desideraretur. Etenim, quamvis in Italia et praesertim Florentiae vigeret usus comprobandi abditam veritatem innocuo alicujus transitu per ignem, quod plane praestitit Beatus Petrus Pavesium Florentiae Episcopum simoniace in Episcopatum fuisse intrusum, ideoque deponendum esse, uti reipsa factum est, illaesus per ardentem ignem pertransiit, quemadmodum opportunis allatis monumentis demonstravimus nostro lib. de Canonis. Sanct. cap. 33., tamen cum nonnullis exinde saeculis in eadem civitate idem sumi voluerit experimentum ad fidem auctoritatemque conciliandam doctrinae Hieronymi Savonarolae, cumque aliqui sese protulerint paratos per ignem transgredi, manu gestantes Eucharistiae Sacramentum, Eucharistiae delationem non probarunt iudices, constanti iudicio eam denegantes ac irreligiosam definiens pravique exempli, spectatis iis facti circumstantiis, in quibus usurpari cupiebatur, uti videre est in vita praefati Hieronymi Savonarolae scripta a Francisco Pico tom. 2. impressionis Parisiorum 1674. pag. 70. tom. 2. additionum ad eandem vitam pag. 306, et in Appendice ad Vitam Alexandri Sexti Pontificis exaratam ab Alexandro Gordonio tom. 2. pag. 435. Verum his omnibus nihil commune est cum casu nostro. Qui enim ritum, de quo nunc agimus, tuetur, facile respondere potest, si asserat, licere omnino ipso adhibito Sacramento excitatis incendiis benedicere, nec tamen ullum fieri debere divitis et pauperis discrimen, neque Eucharistiam post benedictionem in ignem projiciendam esse, sed imo in tabernaculum, unde fuit educta, omni cum honore restituendam.

§. 12. Sepositis itaque superius

allatis animadversionibus rationibusque, vel ritui faventibus vel oppositis, ut tuto liceat ad propositam metam pertingere, *unica, cui insistas, tutaque via sita est in investigandis expendendisque regulis ab Ecclesia praescriptis de cultu SS. Eucharistiae*: neque enim fas cuique esse debet privata auctoritate vel ex verae etiam devotionis zelique affectu novum ritum inducere: „Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni aut sine peccato a Ministris pro libito omitti aut in novos alios per quemcumque ecclesiasticum Pastorem mutari posse, anathema sit: verba sunt sacrae Tridentinae synodi can. 13. sess. 7. de Sacramentis in genere. Et quoties aliquem ritum ejusmodi induci contigit, et si nihil continentem pietati ac religioni oppositum, Apostolica sedes eundem ipsum interdicere non dubitavit, ex quibusdam extrinsecis circumstantiis, nullatenus praecisis vel neglectis ab eo, qui ritum invexit. Ut plura praetermittamus exempla, ad rem praesentem sat est unum illud innuere de SS. Sacramento olim afferri solito ad aegrotos, qui cum exoptarent illud sumere in viaticum nec tamen possent deglutire, *nonnulli in ipsum saltem intueri cupiebant, alii adorare ac deosculari; vetitum quippe id fuit a s. Pontifice Pio V., cui interdicto consonum quoque est alterum adscriptum in rituali Romano a Paulo V. Summo Pontifice evulgato* in ea parte, quae est de communionem infirmorum, ubi, sermone instituto de Divino Sacramento haec leguntur: „Sed alicui ad adorandum solum seu devotionis seu cujusvis rei praetextu, ad ostendendum non deferatur: idque non ea sane de causa, quod simplex adoratio, (quidquid sit de sacrae Hostiae osculo)

quidquam haberet contrarium debito cultui, quum potius eidem esset maxime consentanea, sed ratione quarundam circumstantiarum, quas sapientes legislatores recte adnotarunt quasque innuit Card. de Lugo in suis responsis moralibus lib. 1. dub. 11. n. 3. Merito id prohibuit, loquitur de s. Pio V., „quia si ad privatam aegroti consolationem et sine spe refectionis sacramentalis tanta Salvatoris Majestas loco movenda et per vias publicas circumferenda esset, paulatim ea infirmorum pietas introduceret, ut, sicut s. Reliquiae ad eos deferuntur et applicantur curationis gratia, ita et ad eosdem non communicaturos nec periculose decumbentes deferretur Eucharistia et applicaretur partibus laesis et dolentibus spe impetrandae curationis; quae et alia similia cultum et reverentiam debitam tantae Majestati paulatim imminueret.“

§. 13. *Annua Ecclesia constituit solemnitate Corporis Christi*, quae a Tridentino Concilio dicitur religionis nostrae adversus haereses Triumphum, sicuti videre est sess. 13. cap. 15. Supplicationem quoque instituit ex occasione habendam, jam inde ab Urbano IV., quemadmodum fuse a nobis demonstratum fuit in nostro opere de festis Domini, cum de festo Corporis Christi disseruimus. Cavit Ecclesia, ut Sacramentum ad infirmos cum debito honore deferatur, cum ipsum suscepturi sunt in Viaticum, uti licet deprehendere ex pluribus synodalibus sanctionibus decretisque editis tum a summis Pontificibus tum et ab Episcopis quoad dioeceses suas. Amplexa est Ecclesia pium usum exponendi Venerabile Sacramentum omnibus conspicuum, utpote duobus crystalis inclusum in ostensorio, quod dicitur Monstrantia, in statutis Concilii Colonienensis habiti sub Card. de Cusa Nicolai V. per Germaniam Legati apost. I.,

sicuti nosse licet ex tom. 9. Collectionis Conciliorum Harduini col 1368, lit. C., dummodo id de licentia Ordinarii publicamque ob sausam aliquam fiat. Adjecit et illud Ecclesia, quod si privata tantum non autem publica causa subsit, Sacramentum exponatur, ita tamen, ut reserato tabernaculo inde sacrum Christi corpus minime educatur sed vel sacra Pyxide sit inclusum aut velo obtectum ita, ut videri non possit, quemadmodum deprehenditur ex iteratis conformibus decretis editis a Congregationibus Urbis et per summos Pontifices probatis, quas omnes collegimus ipsi, cum Bononiae essemus, in una ex nostris institutionibus italicae editionis 1. 2., quae in latinam quoque versionem est illata. Cogitavit Ecclesia de benedictionibus, venerabili Sacramento adhibito, imperiendis, tum post publicas habitas supplicationes, tum quoties post solemnem expositionem Sacramentum est in tabernaculum restituendum, ac denique cum sumpto per aegrotum Viatico reliqua in sacra Pyxide est Particula, quam sacerdos secum ad Ecclesiam refert, veluti nosse licet ex rituali Romano *tit. de Communionem infirmorum*. Casum denique prospexit Ecclesia instantis alicujus nimbi, procellae alterius ingentis periculi, cavitque, ut si populus excitari velit ad Deum optimum maximum deprecandum, quo ab ingruenti malo praestetur immunis, adaperiatur tabernaculum minime educto Sacramento, sed ante ipsum sacra Pyxide inclusum preces religioso affectu recitentur. Haec est methodus praescripta a magno s. Carlo Borromeo in sua tertia synodo dioeceseana habita anno 1572. „Cum grandines, nimbi, turbines et aliae temporum procellae imminent, ad eas tempestates sedandas, vel, ut vocant, signandas, ne sacerdos vasculum, in quo SS. Christi domini corpus asservatur, ad-